Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8143
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



bonorꝫ Et ite. In diebꝫ illis tunc mediante nocte facta
clamor factus est ecce sponsus venit exite obviam ei
Dixit autem parabolam hanc simile est regnum celorum
decem virginibus quinque autem ex eis erant fatue et
quinque prudentes Quinque autem fatue acceptis lampadibus
non sumpserunt oleum secum Prudentes autem
acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus
Cum autem moraretur sponsus dormierunt omnes
et obdormierunt Media autem nocte clamor factus est
ecce sponsus venit exite obviam ei Tunc surgent
omnes virgines ille et ornaverunt lampades suas
Fatue autem sapientibus dixerunt date nobis de oleo
vestro quia lampades nostre extinguuntur Respondent
autem prudentes dicentes ne forte non sufficiat nobis
et vobis ite potius ad vendentes et emite vobis
Dum autem venirent emere venit sponsus et
ille que parate erant intrauerunt cum eo ad nuptias
et clausa est ianua Postea autem venerunt et
relique virgines dicentes domine domine aperi nobis
Ille autem respondens ait amen dico vobis nescio
vos Vigilate ergo quia nescitis diem neque horam
Sicut enim homo peregrinans vocauit seruos suos
et tradidit illis bona sua Et uni dedit quinque
talenta alii autem duo alii autem unum unicuique
secundum propriam virtutem et abiit statim
Abiit autem qui quinque talenta acceperat
operatus est in eis et lucratus est alia quinque
Similiter qui duo lucratus est alia duo
Qui autem unum accepit abiens fodit in terra
et abscondit pecunia domini sui Post multum autem
tempus venit dominus seruorum illorum et
posuit rationem cum eis Et accedens qui
quinque talenta acceperat obtulit alia quinque
talenta dicens domine quinque talenta tradidisti mihi
ecce alia quinque talenta lucratus sum super
ea Ait illi dominus euge serue bone et fidelis
quia super modicum fuisti fidelis super multa
te constituam intra in gaudium domini tui
Accedens autem et qui duo talenta acceperat
ait domine duo talenta tradidisti mihi ecce
alia duo talenta lucratus sum super ea
Ait illi dominus euge serue bone et fidelis
quia super modicum fuisti fidelis super multa
te constituam intra in gaudium domini tui
Accedens autem et qui unum talentum acceperat
ait domine scio te quia homo durus es
metis ubi non seminasti et congregas ubi non
sparsisti Et timens abiens abscondi talentum
tuum in terra ecce habes quod tuum est
Respondens autem dominus eius ait illi
serue nequam et piger scisti quia metis
ubi non seminauerim et congregas ubi non
sparsi oportuit ergo te mittere pecunia
mea nummulariis et venientes ego
recepissem utique cum usura
Tolite ergo ab eo talentum et
date habenti decem talenta
Omnis enim habenti dabitur
et abundabit Qui autem non habet
etiam quod habet auferetur
ab eo Et seruum inutilem
eicite in tenebras exteriores
ibi erit fletus et stridor dentium
Cum autem venerit filius hominis
in maiestate sua et omnes angeli
cum eo tunc sedebit super sedem
maiestatis suae et congregabuntur
ante eum omnes gentes et separabit
eos ab invicem sicut pastor segregat
oves ab hedis et statuet oves quidem
a dextris suis hedos autem a sinistris
Tunc dicet rex his qui a dextris
erunt venite benedicti patris mei
possidete paratum vobis regnum
a constitutione mundi Esurui enim
et dedistis mihi manducare situi
et dedistis mihi potare hospes
eram et collegistis me nudus
eram et operuistis me infirmus
eram et visitastis me in carcere
eram et venistis ad me Tunc
respondebunt ei iusti dicentes
domine quando te vidimus esurientem
et pauimus te aut sitientem
et dedimus tibi potum Quando
autem te vidimus hospitem
et collegimus te aut nudum
et operuimus te Aut quando te
vidimus infirmum aut in carcere
et venimus ad te Et respondens
rex dicet illis amen dico vobis
quamdiu fecistis uni ex istis
fratribus meis minimis mihi
fecistis Tunc dicet et his
qui a sinistris erunt
Discedite a me maledicti
in ignem aeternum qui
paratus est diabolo et
angelis eius Esurui enim
et non dedistis mihi manducare
situi et non dedistis mihi
potum Hospes eram et non
collegistis me nudus
et non operuistis me
infirmus et in carcere
et non visitastis me
Tunc respondebunt et ipsi
dicentes domine quando te
vidimus esurientem aut sitientem
aut hospitem aut nudum
aut infirmum aut in carcere
et non ministrauimus tibi
Tunc respondebit illis
dicens amen dico vobis
quamdiu non fecistis
uni ex minoribus istis
nec mihi fecistis
Et ibunt hi in
supplicium aeternum
iusti autem in
vitam aeternam
Sic

155